

EPISTOLA NVNCVPAT.

citurum hoc opus, vt liquerent magis, quæ etiam dubia, nec omnino comperta sunt, hunc Librum emisi, addita scriptura ad principium vitæ singulorum, quæ in auersa parte sculpta fuerat, inanibus etiam relictis nonnunquam areis, quia nancisci mihi Numos facultas nusquam data fuerat, eo tamē consilio, vt si alicunde possim illos adipisci, quod deest, reponendum curem, interimque nil deficiat, quod pertinet ad Historiæ continuandam seriem, hoc verò, qualecunque est, amplitudo tua non dedignabitur legere, animi causâ, cùm nil magis erit serium, quod agas. Si munus hoc exiguum quidem, pro fortunarū tuarum, & celsi animi statu, sed quod pro conditione mea, & virium tenuitate maximum habui, non respuet, alterum id opus quo auersorum Numorum sculptura designatur, propediem in manus hominum dabitur, ac exhibit, gloriæ tuæ fama tutum ac defensum. Cæterum, vt Græcus ille, cùm Augusto Cæsari nescio quid haud magni ducendū offerret, vilius id esse dixit, quàm postularet maiestas Cæsaris, ac principalis fortunæ summus gradus, conuenire tamen, pro loco, fortèq; sua, seq; non minùs libenter daturum, si quid posset maius: sic ego amplitudini tuæ hoc munus affero, vehementerq; rogo, vt interdum legere non pigeat, animique mei tibi deditissimi, ac

iustis de causis (cùm tot modis beneficiarius tuus

sim) te venerantis, & adorantis, aliquan-

do velis meminisse, id quod

vnum percipio ac

votis opto.

Vale,

Lugduni tertio

Calendas Septembris

1553.